Frater Ambrosius tua mihi munuscula perferens detulit simul et suavissimas litteras, quae a principio amicitiarum fidem probatae iam fidei et veteris amicitiae nova praeferebant. Vera enim illa necessitudo est et Christi glutino copulata, quam non utilitas rei familiaris, non praesentia tantum corporum, non subdola et palpans adulatio, sed dei timor et divinarum scripturarum studia conciliant. Legimus in veteribus historiis quosdam lustrasse provincias, novos adisse populos, maria transisse, ut eos quos ex libris noverant coram quoque viderent. Sic Pythagoras Memphiticos vates, sic Plato Aegyptum et Archytam Tarentinum eamque oram Italiae quae quondam magna Graecia dicebatur laboriosissime peragravit, ut qui Athenis magister erat et potens cuiusque doctrinas Achademiae gymnasia personabant, fieret peregrinus atque discipulus, malens aliena verecunde discere quam sua inpudenter ingerere. Denique cum litteras quasi toto orbe fugientes persequitur, captus a piratis et venundatus etiam tyranno crudelissimo paruit, ductus captivus vinctus et servus; tamen quia philosophus maior emente se fuit. Ad Titum Livium lacteo eloquentiae fonte manantem de ultimis Hispaniae Galliarumque finibus quosdam venisse nobiles legimus, et quos ad contemplationem sui Roma non traxerat, unius hominis fama perduxit.

Habuit illa aetas inauditum omnibus saeculis celebrandumque miraculum, ut urbem tantam ingressi aliud extra urbem quaererent. Apollonius sive ille magus ut vulgus loquitur, sive philosophus ut Pythagorici tradunt, intravit Persas, pertransivit Caucasum, Albanos, Scythas, Massagetas, opulentissima Indiae regna penetravit, et ad extremum latissimo Phison amne transmisso pervenit ad Bragmanas, ut Hiarcam in throno sedentem aureo et de Tantali fonte potantem inter paucos discipulos de natura, de moribus, ac de cursu dierum et siderum audiret docentem. Inde per Elamitas, Babylonios, Chaldaeos, Medos, Assyrios, Parthos, Syros, Phoenices, Arabes, Palaestinos reversus Alexandriam, perrexit Aethiopiam, ut gymnosophistas et famosissimam Solis mensam videret in sabulo. Invenit ille vir ubique quod disceret, et semper proficiens semper se melior fieret. Scripsit super hoc plenissime octo voluminibus

II
Philostratus. Quid loquar de saeculi hominibus, cum apostolus Paulus vas electionis et magister gentium, qui de conscientia tanti in se hospitis loquebatur dicens: An experimentum quaeritis eius qui in me loquitur Christus? post Damascum Arabiamque lustratam ascendit Hierosolymam ut videret Petrum, et mansit apud eum diebus quindecim. Hoc enim mysterio hebdomadis et ogdoadis futurus gentium praedicator instruendus erat. Rursumque post annos quattuordecim assumpto Barnaba et Tito exposuit cum apostolis evangelium, ne forte in vacuum curreret aut cucurrisset. Habet nescio quid latentis energiae vivae vocis actus, et in aures discipuli de auctoris ore transfusa fortius sonat. Unde et Aeschines cum Rhodi exularet et legeretur illa Demosthenis oratio quam adversus eum habuerat, mirantibus cunctis atque laudantibus, suspirans ait: Quid si ipsam audissetis bestiam sua verba resonantem?

III
Haec non dico quo sit aliquid in te tale quod vel possis vel velis discere, sed quo ardor tuus et discendi studium etiam absque nobis per se probari debeat. Ingenium docile et sine doctore laudabile est. Non quid

http://dl.ub.uni-freiburg.de/diglit/hs369/0009
© Universitätsbibliothek Freiburg
gefördert durch Baden-Württemberg